

STUDIA CANONICA

DE VETITA CLERICIS ET RELIGIOSIS NEGOTIATIONE SEU MERCATURA (*)

V. — De personis quibus negotiatio aut mercatura prohibetur.

1. *Ex Codice Iuris can. — Clerici, religiosi et sodales Societatum vitae communis.*

a) « Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem, aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem » (Can. 142). *Clerici* intelliguntur « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (c. 108 § 1).

b) « Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142, etiam religiosi omnes tenentur » (c. 592). Nomine autem *religiosorum* veniunt « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (c. 488, 7°). Comprehenduntur etiam religiosas (c. 490). Novitii in odiosis non veniunt nomine religiosorum; tenentur utique quodammodo legibus religiosorum observandis, non tamen stricte nec sub poenis canonicis.

c) « Sodales Societatis (vitae communis) tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei vel ex sermonis contextu aliud constet » (c. 679 § 1). Expresse etiam memorantur in Decreto quoad obligationem can. 142 (64).

2. *Ex Decreto "Pluribus ex documentis" — Extensio can. 142 ad sodales Institutorum saecularium.*

« Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est ut Clerici et Religiosi omnes ritus latini de quibus in canonicis 487-681, *ne exceptis quidem regentium Institutorum saecularium sodalibus, negotiationem exercentes...* ».

(*) Cfr. *CpR.*, vol. XXIX (1950), p. 183-211.

(64) Cfr. supra in hoc studio, sub n. I, 2 et notam 1 (*CpR.*, 1950, p. 184).

Haec ultima S. C. Concilii Decreti clausula recte est interpretanda, ne Institutorum saecularium vera et genuina ratio, prout ex documentis pontificiis apparet, deturpetur.

A) Recta Decreti interpretatio.

a) Verba Decreti Instituta saecularia spectantia, ni fallimur, recte intelliguntur si ita compleantur: « Clerici et religiosi omnes... ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus », adde: « clericis et religiosis ». Clericis, uti per se patet; religiosi, quia nihil prohibet quominus aliqua Instituta, Religionis nomen et iura obligationesque per aequiparationem assequantur (65); tunc tenerentur etiam legi can. 142 (66).

b) Verba Decreti intelligi etiam debent de sodalibus Institutorum *reduplicative* ut talia sunt; ita ut a negotiatione prohibeantur exercenda *quatenus membra Instituti saecularis*. Revera in his sodalibus apte distingui valet duplex quasi personalitas: prima *individualis*, *saecularis* ex qua exercere possunt quamlibet professionem saecularem licitam (67), altera *ecclesiastica* quatenus ad associationem ecclesiasticam pertinent. Porro obligationes et iura quae ipsis competunt qua privatis, possunt diversa esse ab obligationibus et iuribus quae habent qua membra Instituti, ut per se patet; et proinde nihil impedit, quominus ipsis applicemus canonem 142 pro regulanda eorum activitate ecclesiastica et collectiva tantum, libera relicta honesta activitate saeculari individuali.

c) Inde (litt. b). Instituta, etiam qua personae morales ecclesiasticae collegiales, prohiberentur a negotiatione exercenda ad normam can. 142; quod quidem non parum grave est, cum per se Instituta sint Associationes laicorum quae reguntur normis part. III, lib. II Codicis (68).

(65) Cfr. P. LARRAONA, *CpR.*, 1949, p. 173.

(66) Nec aliena omnino a modo loquendi minus proprio praesentis Decreti videri poterit haec denominatio *Religiosorum*, illis Institutis saecularibus applicata quibus aequiparatio cum statu religioso concessa fuerit; nam sodales societatum vitae communis in iure nomine religiosorum non veniunt, ut expresse declarat c. 673 § 1, et tamen in nostro Decreto sub nomine religiosorum comprehenduntur: «...ut clerici et religiosi omnes ritus latini de quibus in can. 487-488... ».

(67) Cfr. infra, nota 69 « In hac Societatum fidelium... ».

(68) Haec quae dicimus illustrari possunt ex iis quae de Actione catholica Romani Pontifices non semel edixerunt. Ita recentissime Pius XII in Allocutione diei 3 maii 1951 (*Osservatore Rom.*, 6 maggio 1951): « 5. Noi non abbiamo bisogno di insegnarvi che l'Azione Cattolica non è chiamata ad essere una forza nel campo della politica di partito. I cittadini cattolici, in quanto tali, possono ben unirsi in una

B) Decreti interpretatio quae minus recta videretur.

Ultra hanc interpretationem verba Decreti extendere, ita nempe ut sodales Institutorum etiam qua singuli et privati legi negotiationem prohibenti submitterentur, videretur contra naturam Institutorum saecularium recentissime (et ut ita dicam contemporanee cum nostro Decreto) semel atque iterum per Constitutionem *Provida Mater* diei 2 febr. 1947, per Motu pr. *Primo feliciter* diei 12 martii 1948 et per Instr. S. C. de Religiosis *Cum Santissimus* diei 19 eiusdem mensis et anni, definitam. Sane:

a) Iuxta illa pontificia documenta in omnibus professionibus saecularibus licitis, perfectio evangelica excellentiori quodam modo sectari potest et debet; atque Institutorum saecularium sodales apostolatam penetrationis dictum et capillarem, accurate conservato saeculari caractere, in omnibus classibus socialibus exercere debent (69). Nulli igitur civium honestae classi denegatur ab Ec-

associazione di attività politica; è il loro buon diritto, non meno come cristiani che come cittadini. La presenza nelle sue file e la partecipazione di membri dell'Azione cattolica — nel senso e nei limiti suaccennati — è legittima e può essere anche del tutto desiderabile. Non potrebbe invece ammettersi, anche in virtù dell'art. 43 del Concordato fra la S. Sede e l'Italia, che l'Azione Cattolica Italiana divenisse un'organizzazione di partito politico». Singula ergo membra Actionis catholicae possunt actionem politicam exercere, sive singuli sive in associationibus politicis coadunati; Actio catholica, qua talis fractionem politicam constituere non potest.

(69) « Verum benignissimus Dominus, qui absque personarum acceptione (2 par. XIX, 7; Rom. II, 2; Eph. VI, 9; Col. III, 25), omnes fideles semel iterumque ad perfectionem ubique sequendam et exercendam invitavit (Mt. V, 48; XIX, 12; Col. IV, 12; Jac. I, 4), mirabili Divinae suae Providentiae consilio disposuit ut etiam in saeculo, tot vitiis depravato... » (Const. Apost. *Provida Mater*; A.A.S., 39 (1947), p. 117) — « Ad vitam perfectionis semper et ubique serio ducendam; ad ipsam etiam in pluribus casibus emplementandam in quibus vita religiosa canonica possibilis vel conveniens non erat; ad impensam familiarum, professionum ac civilis societatis christianam renovationem per contactum intrinsecum et quotidianum cum vita perfecte et omnino sanctificationi consecrata; ad multiformem apostolatam et ad ministeria exercenda locis, temporibus, et rerum adiunctis sacerdotibus religiosisque vetitis, vel impervitis, haec Instituta adhiberi et converti facile poterunt » (ib., p. 118). — « Spiritus Sanctus... multos dilectissimos filios et filias... magna specialique gratia ad se vocavit ut, in Institutis saecularibus, collecti et ordinati, insuli ac tenebrosi mundi de quo non sunt (Cfr. Ioan., XV, 19) et in quo tamen ex divina dispositione remanere debent, sal inefficiens sint quod, vocationis ope renovatum, non avanescent (Cfr. Mt., V, 13; Mc., IX, 49; Luc. XIV, 34); lux, quae inter ipsius mundi tenebras, lucet et non extinguitur (Cfr. Ioan., IX, 1, 5; VIII, 12; Eph., V, 8); ac modicum sed efficax fermentum, quod semper et ubique operans omnibusque christum ordinibus, ab imis ad summos, permixtum, eosdem singulos universos verbo, exemplo, cunctisque modis attingere ac permeare nititur, donec integrum massam informet ut fermentata in Christo sit tota (Mt., XIII, 33; I Cor., V, 6; Gal., V, 9), (Motu pr. *Primo feliciter*; A.A.S., 40 (1948), p. 283).

« In hac Societatum fidelium ad superiorem Institutorum saecularium formam elevatione, atque in omnium Institutorum, sive generalium sive etiam singularium ordinatione perficienda, illud prae oculis semper habendum est, quod proprius ac peculiaris Institutorum character, *saecularis* scilicet, in quo ipsorum existentiae tota ratio con-

clesia possibilitas sectandi evangelica consilia modo ab ipsa publice sancito; seu quod idem est, nullae saeculares honestae seu licitae professiones incompatibiles retinendae sunt cum perfectione evangelica ad normam Const. *Provida Mater* proseguenda. Porro, ut ferunt SALMANTICENSES (70): « Non esse ex natura rei illicitam, et pravam negotiationem, etiam rigorosam, qua aliquid emitur ut immutatum carius vendatur, quamvis turpitudinis speciem prae se ferat, ostendit D. Thomas 2^a 2^{ae}, q. 77, art. 4 citato: sed esse indifferentem; et ideo ex fine, propter quem fit, vitiari, vel bonam fieri. Unde et potest fieri cum peccato mortali, et cum peccato veniali, et absque nullo peccato sed laudabiliter et iuste. Si enim in lucro ultimus illius finis constituatur... peccatum erit mortale... Et potest esse peccatum veniale, ut si quis propter lucrum praecise negotietur, paratus tamen illud praetermittere potius quam legem divinam violare. Et potest esse laudabilis et virtuosa, si fiat a persona habili, ut suae necessitati, ac familiae provideat, ut alios a mendicitate sublevet, et ut Respublica rebus omnibus abundet, et quovis tempore sit facilis in ea rerum inventio; quod nisi per dictam negotiationem difficulter fieri posset... Negotiator avidus acquirendi pro damno blasphematur, pro pretiis rerum mentitur, et peierat, sed haec vitia hominis sunt, non artis, quae sine his vitiis agi potest.

Licitum ergo est per dictam negotiationem lucrum quærere, illudque accipere, utpote debitum ob industriam, ob mercium asportationem, ob varietatem locorum et temporum, in quibus pretium variatur; vel quia intra terminos pretii iusti potest quis in infimo pretio emere, et in summo vendere ».

sistit, in omnibus elucere debet. Nihil ex plena christianae perfectionis professione, evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa, detrahendum erit, sed perfectio est in saeculo exercenda et profitenda; ac proinde, cum vita saeculari in omnibus, quae licita sunt et quae cum eiusdem perfectionis officiis et operibus componi valent, accommodetur oportet » (ib., p. 284). — « Hic apostolatus Institutum saecularium non tantum in saeculo, sed veluti ex saeculo, ac proinde professionibus, exercitiis, formis locis, rerum adiunctis saeculari huius conditionis respondentibus, exercendus est fideliter » (ib., p. 285).

Haec alibi scribebamus, illa verba Motu pr. commentantes: « Quo magis Instituta accedant ad formas apostolatus religiosas eo magis diminutio peculiaris efficitur penetrationis socialis timeri potest, qua tamen maximopere Ecclesia his nostris temporibus indiget; pro apostolatu methodis religiosi procurando, plures in Ecclesia Societates habentur, et continuo ab Spiritu Sancto suscitantur. Cum autem hae novae formae apostolatus uti « vere providentiales: (Motu proprio, pr. et n. VI) ab Ecclesia proclamantur, merito eas fideliter colli et retineri ardentem cupit et procurat » (CpR., XXX (1949), p. 276).

(70) *Cursus theol. mor.*, III, tr. XIV, n. 35; v. etiam ib. n. 42.

Sodales Institutum fere ubique vitam privatam ducunt propriaeque familiae saepe providere debent. Cur Ecclesia ab eis exigere debeat ut propriam quam exercent professionem industriae, commercii, mensae argentariae derelinquant, clare non apparet, cum hoc vitae genus incompatible per se non sit cum paxi consiliorum evangelicorum.

b) Religiosis et clericis equiparari non debent sodales Institutum saecularium, neque ipsis legislatio specifica clericorum vel religiosorum est applicanda (71). Exemplum classicum huius non applicationis iuris clericorum et religiosorum Institutis saecularibus, constanter apud S. C. de Religiosis retentum est « negotiatio » de qua in c. 142 et 592.

c) Nec quidquam Ecclesia timere potest, ut videtur, ex huiusmodi negotiationis vel mercaturae exercitio, cum agatur de personis saecularibus ab aliis communibus civibus non distinctis; et cum Instituta saecularia, quae sunt Associationes fidelium ad normam partis tertiae libri II Codicis, non constituent statum publicum in Ecclesia (72). De ipsis proinde Ecclesia neque socialiter, neque iuridice respondet, cum non agatur de classe ab ipsa publice consecrata (73).

d) Immo, et si quaestionem circumscribamus ad sodales quiam aggregationem Instituto perfecerunt, haec prohibitio a negotiando illis qui negotiis ex proprio statu incumbunt, videri posset minus iusta. Nam sodales Institutum neque disciplinam clericalem aut religiosam professi sunt, neque eorum votum paupertatis limitat capacitatem acquirendi iustis modis, neque tandem statum mutant, sed pergunt esse personae saeculares, nec fiunt ecclesiasticae. Instituta praeterea, ut diximus, sunt Associationes fidelium ad normam tertiae partis libri II Codicis. Et, sicut Ecclesia in honesta vita individuali sodalium Associationum sese ingerere non vult, nec id oportet, et singuli sibi eligere professiones honestas valent;

(71) « Instituta saecularia...: 1) lure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones (can. 487 et 488, 1^o) vel Societates vitae communis (c. 673, § 1); 2) Religionum aut Societatum vitae communis iure non obligantur neque ipso uti possunt, nisi... » (Const. *Provida Mater*, art. II). — Eadem principia recoluntur in Motu pr. *Primo felicitatis*, art. III et in Instructione S. C. de Religiosis *Cum Sanctissimus*, n. 8 (AAS., p. 285 et p. 296).

(72) Cfr. studium circa comparisonem inter diversos status perfectionis iuridice ab Ecclesia recognitos, in *CpR.*, 1950, p. 61-120, praesertim p. 78 seq., 95, 112.

(73) P. LARRAONA, *CpR.*, XXX (1949), p. 164, nota:

eodem modo Ecclesia non praesumitur intendere membra Institutum ab honestis negotiationis professionibus avertere.

Ex his facile patebit quousque applicatio normae can. 142 sodalibus Institutum saecularium absque distinctione, esset contraria naturae horum Institutum et fini ab Ecclesia in eorum constitutione intento. Proinde, illa Decreti interpretato qua sodales recentium Institutum absolute prohiberentur negotiationem seu mercaturam exercere ad normam can. 142 aliena esset a mente R. Pontificis, et exinde omnino excludenda.

e) Tandem, post annum a Decreti publicatione, apud Instituta saecularia non alia interpretatio, quod sciamus, data est; porro consuetudo est optima legum interpretes.

Sit ergo conclusio: salva contraria S. Sedis declaratione, putamus sodales Institutum saecularium a negotiatione prohiberi quatenus membra Institutum, in sensu supra sub litt. A) explicato, non vero qua personae singulae et saeculares.

3. *An prohibitio negotiandi teneat personas morales.* — Certum videtur prohiberi a negotiatione exercenda personas morales ecclesiasticas *clericales* et personas morales *religiosas* ipsisque aequiparatas; quod demonstrari posse videtur ex sequentibus:

a) Prohibentur clerici et religiosi negotiationem exercere etiam *in aliorum utilitatem* (c. 142); nec ergo in utilitatem personae moralis possunt eam clerici et religiosi exercere.

b) « Administratores (bonorum Ecclesiae, seu personarum moralium ecclesiasticarum, c. 1498) possunt *titulos ad latorem* quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aequae frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie... ». Canon supponere videtur generalem prohibitionem; et quoad commutationem *titulorum ad latorem* excludit « quamlibet commercii vel negotiatiis speciem ».

c) Decretum nostrum, ad religiosos quod attinet memoratur can. 487-681, in quibus non tantum de obligationibus religiosorum singularium, sed tiam de communi regimine et de administratione bonorum ecclesiasticorum agitur.

d) Finis legis exigit hanc interpretationem; quia personae morales, maxime si de religiosis agatur qui paupertatem profitentur, non habent finem lucrativum sed spirituale; ideoque averten-

dae etiam sunt a negotiationibus natura sua quaestuosis seu lucrativis, quae praeterea vix sine scandalo fidelium exercerentur.

e) Religiosi a S. Congregatione expostulant facultatem ad quaedam negotia gerenda, quae vel negotiationem vel speciem negotiationis continent; et S. Congregatio id concedit, non ad cautelam, sed tamquam dispensationem a can. 142.

f) Idem evincitur ex historia can. 142; plurimi enim fontes loquuntur de negotiatione Missionariis prohibita, non tantum singulis sed ipsis etiam Missionibus.

g) Ex supra dictis de Institutis saecularibus, videtur solummodo quae personae morales, et sodales qua membra seu nomine Instituti a negotiatione prohiberi.

VI. — Poenae in delinquentes.

1. Hucusque poenae continebantur in can. 2380: « Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum canonis 142, congruis poenis pro gravitate culpa ab Ordinario coerceantur ». Poenae sunt *indeterminatae et ferendae sententiae*.

Quia negotia saecularia a clericis exercita diversos gradus culpabilitatis admittunt, tum ex elemento *obiectivo* (quantitas, modus, cum vel sine damno ministerii, vel tertii, cum vel sine scandalo, etc.), tum ex elemento *subiectivo*, ideo Legislator in Codice poenam indeterminatam reliquit, definiendam ab Ordinario pro gravitate delicti et gradu culpabilitatis. Et cum plures operationes incertae remanerent, fuerint necne prohibita, quia definitio et circumscriptio terminorum delicti (textu legali deficienti qui delictum definiat) tota quanta *doctrinae* commissa erat, ideo legislator prudenter duxit poenam ferendae sententiae tantummodo statuere: abrogatis in omnibus sive poenis *determinatis* (74) sive poenis *latae sententiae* ante Codicem vigentibus (75).

(74) Excommunicationis, suspensionis, depositionis, a Tridentino confirmatae (sess. XXII, c. 1 de ref.). — Bona a clericis quibuscumque illicita negotiatione acquisita, quae extant post ipsorum obitum, spectant tanquam spolia ad Cameram apostolicam (Const. Pii IV *Deus*, 3 nov. 1560). — Clerici negotiantes amittebant privilegium immunitatis a tributis, ipso facto quoad lucra illicita, post spretam trinam monitionem Episcopi quoad alia (Cfr. OJETTI, *Synopsis*, v. *Negotiatio*, n. 2842).

(75) Missionarii negotiantes incurrerant excommunicationem latae sententiae, praeter alias poenas privationis vocis activae et passivae, a qua a nemine absolvi poterant, praeterquam in mortis articulo, nisi lucris prius restitutis Superioribus ecclesiasticis. Iisdem poenis tenebantur Superiores qui suum subditum in praemissis,

2. Praesens Decretum, quin can. 2380 abroget, potius systemati poenali ante Codicem vigenti adhaeret, quod totum, gravium abusu occasione, paulatim elaboratum fuit. Revera recens etiam Decretum, non aliter ac antiquae leges et Decretales, «abusus punire et praecavere intendit» (76).

3. Poenae aliae delinquenti ipsi irrogantur, aliae Superioribus negligentibus.

a) E poenis quae delinquenti ipsi irrogantur alia est latae sententiae, videlicet excommunicatio specialiter S. Sedi reservata, alia ferendae sententiae, sc. degradatio, si casus ferat.

Prima ut contrahatur requiritur delictum consummatum, seu in suo genere perfectum iuxta proprietatem verborum (77). Consummatum vero non censetur nisi cum complexa negotiationis operatio iuridice perfecta est; at non requiritur ut lucrum negotiationis iam de facto perceptum sit.

«Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti executione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit» (c. 2213 § 3). «Si conatus delicti peculiari poena in lege mulctetur [de quo in praesenti casu non constat], verum constituit delictum» (c. 2212 § 4).

b) «Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus» (cfr. 2231 et 2209 § 6).

c) Etsi Decretum, de cooperatoribus mentionem non faciat (c. 2209), putamus tamen eos etiam ad normam can. 2231 poenis teneri, sive positive sive negative cooperentur.

Censemus tamen hoc applicari posse tantum clericis etc. cooperatoribus, quia illi soli delictum negotiationis committere valent,

etiam pro una vice quomodolibet delinquentem, saltem per eius remotionem a loco commissi delicti non puniverant (Const. Urbani VIII, *Ex debito*, 22 febr. 1633; Const. Clem. IX *Sollicitudo* 17 iun. 1669; vigentes etiam post Const. Apost. *Sedis*, prout declaravit S.U.I. 4 dec. 1872 et S.C.P.F. 29 mart 1873 (Cfr. OJETTI, l. c., n. 2843, — VROMANT, *De personis*, n. 366).

(76) Quod revera Decretum redactum sit ex sollicitudine abusus praecavendi elucet non solum ex gravissimis poenis in eo statutis sed e verbis quibus legis infractio designatur: *delictum* (Superiores vero qui eadem delicta...); *crimen* (utpote huius criminis rei); *factus* (quorum dolo vel culpa patrata factura...).

(77) Iuxta dicta in praecedentibus, poenae applicatio non semper facilis erit. Lex canonica prohibet quidem *negotiationem*; sed hucusque, scilicet ex doctrina, non semper *uniformi nec certa*, scimus quid negotiatio comprehendat.

minime vero laicis quibuscum clericus negotiationem exercet. Laicus qui cum clerico cooperetur ad delictum negotiationis patrandum, immunis certo non erit a peccato cooperationis sensu morali, at poenas, saltem poenas latae sententiae, non auderemus absque nova declaratione ei applicare. Revera lex tum substantiva cum poenalis ita est redacta ut excludere videatur laicorum poenalem responsabilitatem. Ait can. 2380: «Clericis vel Religiosis negotiationem... per se vel per alios... sive in propriam sive in aliorum utilitatem... contra praescriptum can. 142, utpote huius criminis rei...». Videretur totam responsabilitatem delicti prohibita negotiationis ressumi in ipso clerico, sive solus sive cum aliis negotiationis, sive in propriam sive in aliorum utilitatem. Alioquin, excommunicationem incurrerent v. gr. operarii quibus clericus utitur ab industriam proprie dictam exercendam, campsor quocum clericus operationes argentarias peragit, etc. (78).

(Continuabitur).

A. GUTIÉRREZ, C.M.F.

(78) Canon 2231 praevidet cooperatoribus non eadem aliquando poena teneri: «Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in c. 2209 § 1-3 (cooperatoribus physici et morales principes) tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena». — In nostro casu, prout in textu innuimus lex aliud videtur cavere, saltem implicite.